



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni  
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphaneſis lib. 6

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quomodo Nestorius es Anastacii discipuli sui dissertatione, sanctam dei  
matrem, non deiparam, sed Christiparam vocitaße, deprehensus sit, qua  
de causa hæreticus habitus est. Cap. II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12718**



ratione istarum rerum vnaquæque gesta sit, & quem ad exitum peruenerit, suo loco explicabo: attexamque præterea, si quid aliud potero reperire, quod ab instituto videatur alienum, dignum tamen, quod historiæ mandetur: ibique finem scribendi faciã, vbi deo clementi ac propitio visum fuerit.

*Quomodo Nestorius ex Anastacii discipuli sui dissertatione, sanctam dei matrem, non deiparam, sed Christiparam vocitasse, deprehensus sit, quæ de causa hæreticus habitus est. Cap. II.*

Quonia Nestorius, qui lingua Deum oppugnauit, qui alterum cum Caipha contra filium Dei coegit conciliu, qui blasphemie officina, in qua Christus denuo trucidat & diuedit, instruxit, qui naturas illius (qui in ipsa cruce ne os quidem, ut scriptum est, omnino habuit contractum, neque vestem penitus textilem à paricidis discissam) diuisit diremitte, vocem hanc, Deiparam, à multis lectis spectatisque patribus fabricatam repulit atque adeo reiecit, & vocem, Christiparam, ab se veteratorie effictam & coflatam ei opposuit, seditionibusque; infinitis referfit ecclesiam, atque intestina ac ciuili sanguinis effusione repleuit, arbitror orationem mihi de esse non posse, cum ad historiam apte appositeque contexendam, tum ad rationem ac viam in ea ad finem usque; progrediendum, si Christo omnium gubernatore opere ferente, à nefaria istius impij Nestorij blasphemiam exordium capiam. Cõcertatio in ecclesijs suscepta hic habuit initiu. Anastasius quidam presbyter peruersa imbutus opinione, Iudaicorum dogmatu, que tenebat Nestorius, acerrimus fautor, & ei ad episcopatum proficiscenti comes, vbi Nestorius cum Theodoro in vrbe Mopsoestia congressus, audita illius doctrina à vera pietate desciuit, Anastasius (inquã) ut à Theodoro in epistola quadã de hijs rebus scriptum est, in disputatione apud populum Christu sancte colentem, in Ecclesia Constantinopolitana habita, palam ausus est dicere: nemo Mariam deiparam vocet. Nam Maria, inquit, homo erat: atque ab homine deus nasci non potest. Quæ quidem verba cum populus Christo consecratus grauitè & acerbè ferret, & disputationem illam non sine causa haberet pro blasphemiam, Nestorius istius blasphemiam

Ec 2 author



EVAGRII HISTORIAE

author & dux, non solum non prohibuit illum, neque re-  
ctam sanamque doctrinam tutatus est, verum etiã eius ver-  
ba reuera in primis roborare contendit, & in eisdem defen-  
dendis acius institit. Atque sua ipsius opinione hisce ad-  
iuncta atque adeo ascripta, venenõque animi sui in eccle-  
siam effuso & eiecto, multò maiorem blasphemiam docere  
conatus est: adeo vt ad sui ipsius capitis perniciem, hanc im-  
piam sententiam, nimirum, *Ego eum qui spatii mensuris,*  
*hoc est, bimestri & trimestri, & ita deinceps, adoleuerit, Deum*  
*certe non appellauero,* proferre non dubitaret; sicut tum à So-  
crate, tum à priore cõcilio Ephesi celebrato perspicuè nat-  
tatum est.

*Quid magnus Cyrillus ad Nestorium scripserit, et  
de tertio Concilio Ephesino, ad quod Ioannes An-  
tiochenus episcopus & Theodoritus tardius ac-  
cesserunt. CAP. III.*

**H**AEC nefaria Nestorij dogmata cū Cyrillus, episco-  
pus Alexãdrię, vir sane ipsa fame celebritate insignis,  
sigillatim per literas refutasset, Nestoriusq; eius scriptis  
reluctatus est, & neque Cyrillo, neque Celestini antiquę  
Romę episcopi consilij obsecundauit, sed suum ipsius vi-  
rus nihil veritus euomuit in ecclesiã: postulauitque vt au-  
thoritate ac nutu Theodosij iunioris, qui tum Orientis ad-  
ministrauit imperium, primum conciliũ Ephesi cogeretur.  
Itaque literę imperatoris erant ad Cyrillum, & ad alios om-  
nes vbique sanctarum ecclesiarum præsides missę: quę  
diem Pentecostes, quo die vitalis & sacer spiritus ad nos  
descendit, conuentui pręstituerunt. Nestorius autem, pro-  
pterea, quòd Ephesus nõ longe abest à Constantinopoli,  
omnino anteuertit. Cyrillus verò, & qui cum eo erant, eò  
veniunt ante diem pręstitutum. Ioannes, pręsul Antiochię  
vnà cum suis ad diem dictum absuit, non quidem sua spon-  
te, sicut multis videtur, qui eius factum defendere volunt,  
sed quod suos episcopos, tã cito cogere non poterat: quip-  
pe nonnullę è ciuitatibus, quibus pręerant, ab Antiochia  
(sic enim olim appellabatur, at iam Theopolis dicitur, id  
est, ciuitas dei) homini expedito ac strenuo distant, iter du-  
odecim dierum, & quibusdã, amplius eo: & Ephesus abest  
Antiochia,